



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

S. Martini festo; Paraphrasin Epistoliam & Exegesin Euangelicam, quære  
in festo S. Nicolai Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

sericordie serinium. Nihil enim nos vult habere Deus, vt ait D. Bernardus, quod non transeat per B. Mariæ manus. Denique adest ibi sacratissima Christi Iesu humanitas, quæ præ omnibus ineffabilem adfert lætitiã sanctis & angelis, cuius passionẽ redempti, cuius sanguine viuificati, cuius exemplis instructi, cuius morte ad vitam reducti sumus. Videtis dilectissimi, quanta nobis bona in cælis reposita sunt, quibus iam felicissimè absque vlla amittendi formidine perfruuntur sancti omnes, quorum hodie solennitas agitur. Agedum igitur contemnamus tota animi virtute quicquid nos ab illis bonis impedire potest: eaq; summo studio amplectamur, quæ nobis possint esse adminiculo, vt ad illam felicissimam sanctorum omnium sodalitatẽ pertingamus. Ecce etiam ipsi nos cupidissimè expectant. Negare nihil illis Deus potest, quia charissimos eos habet. Imploramus ergo eorum suffragia: multum enim possunt apud Deum. Pauperes sumus: quæramus ab illis, vt pote ditissimis, largas elemosynas. Credite mihi, nihil nobis negare poterunt, si ipsos piè erimus venerati, Præstet nobis omnipotens Deus, vt quandoque ad illorum consortium pertingere mereamur, gratia & benignitate sua qui est benedictus in secula, Amen.

Bernard.  
Humanitas  
Christi quan-  
tum gaudiũ  
præstet bea-  
tus in celo

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI. EPI-  
stolam cum sua Paraphrasi quære in festo D. Nicolai  
Episcopi. Item ibidem inuenies Euangelij  
Exegetin.

## SERMO IN EODEM FESTO.

*De vitanda crapula & comotationibus: item in quibus S. Mar-  
tinum imitari debeamus.*

**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. Ec-  
clesiast. XLIII. Magni & eximij Pontificis D. Martini festũ diem nũc  
celebramus dilectissimi: vtinam congrua deuotione vtinam digna ani-  
mi alacritate, studio & seruire. Proponitur hic nobis homo sanctissimus,  
cuius vitam imitari & vtunque posse exprimere, magnæ virtutis est. Cuius  
apud Deum tanta est autoritas, tanta gratia & potestas, vt quicquid pete-  
rit, non possit non impetrare. Quod propterea dixerim, vt propenioribus  
animis illius solennitatem celebretis, eius suffragia ardentius ambiatis, eius  
exempla studiosius imitari velitis. Solent quidem passim homines diem  
istum largioribus epulis & profusioribus gaudijs præuenire, atque in pro-  
festi eius cœna indulgere poculis, & multo recenti exhilarare animum. Sed  
vtinam tam essent prompti ad imitandas beatissimi Patris virtutes, & spiri-  
tibus potius sese recreare gaudijs, diuinisque laudibus totum diem  
transigere, sacras ædes assidue visitare, & salutis suæ curam agere, quam  
externa illa celebrare conuiuia, quibus maxima pars ad Dei & sancti  
Martini iniuriam abutuntur, dum adeo sese vino & cibo ingurgitant, vt  
sequenti die ad diuina omnia prorsus inepti sint. Possent quidem tolerari  
sobria & honesta conuiuia, sed in illis nihil spectari aliud, quàm corporis  
voluptates, nec vllam aut tenuem Dei sanctorumque eius habere mentio-

In eos qui  
hoc die &  
præcedenti  
largè student  
calicibus ex-  
hauendiis.



T. VI  
22

nem, potusq; ac cibo superfluo farcire ventrem id verò pecudum est, non hominum ratione vtentium.

Festa sanctorum celebranda dicitur qd; face d. beat.

Ergo dilectissimi festa sanctorum ea ratione colamus, vt digni simus quandoque admitti in beatissimam sanctorum societatem. Quod multo melius impetrabimus corporis spernendo, quam expetendo oblectamenta, & sobrietatem, iustitiam, pietatem potius quam crapulam, iniquitatem, vanitatem sectado. Sic sancti ipsi dum adhuc essent in terris, præcedentium patrum colebant festos dies: & licet interdum conuiuia moderata non respuerent

Quina seculo dediti homines hodie festos celebrant dies.

tamen animo cælestes potius suspirabant epulas, magisq; delectabat eos lucris spiritualibus augere animam, quam corpus breui moriturum escis corruptibilibus implere. Nos contra nunquam ferè magis crapulæ & ebrietatoros nos dedimus, quam in sanctorum atque etiam ipsius Christi solennitatibus, quasi verò ille dignius Christum eiusq; sanctos colat & honoret, qui maiores cibi ac potionis copias appararit, & se totum escis ac potu obruerit. Sed si ne prophanis quidem siue communibus diebus vnquã licet commensationibus comotationibusq; immoderatis tempus præciosissimè perdere, quam turpe, quam nefariū, quam flagitiosum est dies sacros diuino cultui dedicatos talibus studijs transigere? Sed consuetudo est, aiunt. Imo verò consuetudo antiquissima est, vt vel ex Diuo Basilio Magno probari potest, vt in solennitatibus sanctorum alij pro alijs orent, vna cum pluribus Deum adorent & lachrymas offerant, ab eo peccatorum veniam poscant, de acceptis beneficijs gratias agat, se mutuis vicissim cohortationibus in vera pietate confirmet & ædificent. Crapulæ autem & ebrietati vacare non est consuetudo bonorum hominū, sed Deum eiusq; præcepta contementium. Nō licet autem imitari exempla malorum, nisi cui liber etiam supplicia illorū perpeti. Negari sanè non potest iam mala ista longo vsu imo detestabili & ter execrando abusu inoleuisse, vt festis præcipue diebus templa negligantur, ventres epulis immodicis & luxurianti mero distendantur. Sed veniet

Celebrandi festos dies consuetudo vetustissima quænam fuerit olim. Basilius.

veniet ille dies, quando eiusmodi hominum fax, qui Deum non timent, sed pro Deo colunt putentissimam ventris sui cloacam, rursus acerbissimo cui tormèto euoment quæcunque nunc nō solum intemperanter, sed etiã tempore sacro, non nisi diuinis accommodando rebus deuorant. Clament tunc si poterunt, se hominum morem & consuetudinem obseruasse. Nimirum mox audient: Quorum vobis libuit imitari morem impium & detestandū, eorum nunc quoque non sit absurdum cruciatus sine fine experiri.

Intemperantia edendi & bibendi quæ mala adferat.

Talis edendi ac bibèdi intemperantia etiam hoc mali efficit, vt multi cogantur extremam inopiam tolerare, multi dirissimo famis mucrone conficiantur, multi dum non habent vitæ necessaria, pessimis artibus & studijs animum applicent, atque ad alios expilandos, deprædandos, iugulandos sese transferant. Miramur sæpe tantam esse annonæ caritatem. Sed quid mirum, si multos egestas opprimat, non habentes vnde vel panè emant, quando plurimos inuenire est, qui vno die plus cibi potusq; gulæ suæ modo ingerant, modo rursus euomendo detrahant, quàm vitæ hominis sustentandæ in multos dies foret necessarium? Et talia, vt diximus, libentius & crebrius, atque etiam, quod peius est, liberius & minori scrupulo fiunt festis diebus. Tum enim datur otium à curis & negotijs secularibus. Itaque quod ad pie-



ad pietatem & deuotionem inuitare deberet, incitat ad perpetranda mala.

Videas tum alios domi suæ grandia & luxuriosa apparare conuiuia, & multis horis continuis assidere mensæ, ad æquales haustus mutuo se prouocare, edere & potare vsque ad nauseam, ne dicam vomitū, & multa interim pernitiōsa & turpia, friuola ac falsa effutire verba, pluraq; alia perpetrare immania peccata quæ tamen nec ipsi animaduertūt, quia excæcati sunt à diabolo. Alios verò cernas licet in tabernis publicis totos hæere dies, alios exire in agros aut villas propinquas, non nisi edendi ac potandi causa, & diuinam erga se iram prouocandi. Alij verò ludis, choreis, spectaculis, lasciujs, pompis & id genus alijs vitijs & vitiōrū incentiujs toti intendunt, non tamen sine comotationibus & crapula. Interim quis dubitet tanta ab eiusmodi vanis & miseris, imo & stolidis & insanis hominibus non modo superfluo, sed etiam in corporis & animæ perniciem cōsumi, vnde multi possent pauperes longo tempore abundè sustentari? Et tamē quærentur homines non satis creuisse fruges, minus fertilem fuisse autumnū. Et quæ tandem fertilitas sufficere possit tantæ hominum luxuriæ ac intemperantiæ? Qui si nolent parcius & frugalius viuere ob gratiam pauperum, qui eā de causa fame afficiantur & pereunt, deberent saltem suæ valetudinis habere rationem, quàm certum est tali cibi ac potus nimietate grauissimè lædi, morbisq; multis & diuturnis fieri obnoxiam. Cum enim natura paucis contenta sit, quicquid superfluum ingesseris, nisi sobrietate aut alia ratione digeratur necesse est pessimos producat effectus. Quamobrem rectè dicitur plures crapula quam gladio perire. Et raro diuturna illorū vita est, qui largioribus epulis & poculis frequenter indulgēt. Sed si nec ijs terremur incommodis, terreat nos diuitis illius epulonis exemplū, quem vt ait D. Basilius, vita in delicijs acta tradidit incēdio. Non enim ob crimen iniustitiæ, sed ob vitæ molliciem, & quotidianas comessationes exustus est in camino ardente: vbi iam nec guttam aquæ obtinere potest, qui hic noluit superfluo abstinere potu & cibo. O miserum & verè miserum, qui pro breuissimis & vilissimis gulæ illecebris & oblectamentis iam perpetua cruciatur fame & siti, & innumeris alijs dirissimis afficitur cruciatibus. Qui si ad necessitatem, non ad voluptatem donis Dei sobriè ac moderatè fuisse vsus iam cū sanctis omnibus pleno ore potaret è fonte vitæ, & ederet de mensa Domini sui omnigenis referata delicijs, ijsq; semper nouis, vt nunquam desit esca & potus appetitui, fastidium desit saturitati. At hæc attendere iam nolunt stulti & miseri, donec & ipsi in lacum illum tartareum conijciantur, vbi pro delicatis & oppipare præparatis ferculis, dulciq; mero fel draconum & venenum aspidum insanabile, flammæq; sulphureas & ipsas quoq; carnes suas comedent.

Quamobrem dilectissimi non iam deinceps sacros dies comessando, potando, iocando, ridendo, ludendo, fabulando transigamus, sed memores diuini iudicij & mortis nobis semper & vbiq; insidiantis, conflua-

amus in mortem peccati: doceat nos vias suas, & deducat nos in semitis

n n n n manda-

Conuiujs celebrandi quælis hodie mos lectur.

intemperantiæ quætra mala homini adducat.

Crapulosos homines suam abbreviare vitam. Luca 10. Basilius.

Deut. 18.

Templa diebus festis esse frequentanda.

Psal. 66.

Psal. 112.

Psal. 118.



T. VI  
22

Vita gesta que  
sanctorū cre-  
drius lecta &  
zeccitara quā-  
tum habeant  
energia.

Martini san-  
cti vita quā-  
m fuerit san-  
ctissima.

Pueritia S.  
Martini quā-  
m fuerit admi-  
rabilis.

Pueri quā-  
m inuendi  
sot.

Seuerus  
Sulpitius.

Virtutum in-  
tegritas in  
S. Martino  
quanta.

mandatorū suorum. Ipsos quoque sanctos nobis intercessores & precatores adhibeamus, vt quod nostris non possumus, illorum meritis obtineamus.

Atque vt ad hæc & eiusmodi pia studia animis accendamus, non pigeat nos vitas sanctorum perlegere, aut ab alijs audire. Habent enim nescio quos aculeos exempla sanctorum, quibus animi quamuis tepidi sæpe miro modo cōpunguntur ad amorem Dei, ad odium peccati, ad contemptū mundi, ad melioris vitæ desiderium. Ecce hodie dies solennis agitur sanctissimi Præfultis Martini, cuius vita tot scæter virtutibus, tot meritorum coruscis prærogatiuis, tot faculis iusignium ardet exemplorū, vt vix quisquam tam duri sit cordis, qui illis auditis aut cognitis non aliquo modo compungatur. Dicamus inde pauca ad vestri ædificationem, ad laudem Dei, ad honorem sancti Pontificis. Primo quidem cum adhuc esset annorum decem, inuitis parentibus confugit ad Ecclesiam, seq̃ catechumenum fieri postulat. Mox mirū in modū totus in Dei opere conuersus, cum esset annorū duodecim eremū concupiuit: fecissetq̃ votis satis, si ætatis infirmitas non obstisset. Animus tamen aut circa monasteria, aut circa Ecclesiā semper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit. Ecce mirabile in tali ætate seruo erga Deū, vt etiam inuitis parentibus, qui gentiles erāt, sed seculari dignitate non intimi, cōfugeret ad Ecclesiā. Quis queso id illa in ætate nō miretur, quis non omni laudū præconio tantam tantilli pueruli constantiam prosequatur? Sed iam Christi gratia in illius pectusculo radiabat, quæ mentem pueri salubriter intus erudiebat, clamans in corde illius vana esse Deorum simulachra, nec nisi vnum esse Deum. Habet hic pueri, quod summa cum laude imitentur, vt discant à teneris animum applicare creatori, libenter sacras visitare ædes, pietatem meditari, nō pueriles leuitates & ineptias. Ad quæ debent eos hortari & instigare parentes, ne ipsorum negligentia pereant, ne in ætate tenera ad vitia & seculi vanitates sese adiungant, neglecto quæ creatori & salute sua, pessima peccandi consuetudine implicentur, quàm deinde vix maximo labore possint abijcere. Postea verò aliquandiu sacramentis militaribus implicatus S. Martinus, licet nondum sacrum percepisset baptismum, tamen toto illo triennio, quo ante baptismum in armis fuit nolens & coactus, ita vixit, vt vita eius perfectionis speculum fuisse videatur. Scribit enim de eo Seuerus Sulpitius in hæc verba: Vno tantum seruo comite triennio illo contentus fuit: cui tamē vice versa Dominus seruebat, adeo vt plerumque ei & calciamenta ipse detraheret, & ipse detergeret: cibum vna caperent, hic sæpius ministraret. Interim ab ijs vicijs integer mansit, quibus milites implicari solent. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia verò, atque humilitas vltra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudari non est necesse: qua ita vsus est, vt iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos deuinxerat, vt eum miro venerarentur affectu. Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum: assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos. Nihil sibi ex militarijs stipendijs præter quotidianum victum referuabat, iam tum Euangelij non sardus auditor, de crastino non cogitabat.

En ch. 9.



En charissimi quantas hic in S. Martino adhuc catechumeno, necdū annos octodecim transgresso virtutum splendor, quanta congeries, perfectio quanta? Nonne hic paucis comprehensum est verbis, quod vsque ad summam ætatem egisse sufficiat? Quid nos hic dicturi sumus, qui tot annis, imo ab ipsis incunabilis Christi misterijs initiati sumus, qui sapissimè sacras conciones auscultauimus, qui omnia Christi mandata tenemus? Quæ in nobis tot virtutum vel tenuis scintilla relucet? Quis nostrum tam humilis & officiosus, non dico ergo seruum, sed vel erga maiores & superiores suos esse? Cuius nostrum tanta charitas & beneuolentia erga proximos? tanta frugalitas, tanta patientia & modestia? Opera misericordix quæ ille tam liberaliter, tam prodigus coluit, apud nos iam penitus iacent & in vltimas terras relegata sunt, vt nos plane simus surdi Euangelij auditores, qui nullis Domini præceptis, nullis comminationibus eo adduci possimus, vt vel superflua communicemus miseris & egenis, cum beatus Martinus omnia dedisse legatur, nihil sibi seruans in crastinum: & hoc, vt dixi, cum adhuc esset catechumenus.

Matth. 6.

Quid hic necesse est commemorare vitæ illius gesta post baptismum cum iam tot tantaque in eo necdum baptizato didicerimus, vt iure meritoque nos ipsos omnemque vitam nostram vt pote longissimè ab eius perfectione distantem, contemnere ac vilipendere debeamus, satisque negotij habituri simus, si iam dictas illius virtutes vt cunque imitari velimus? Et tamen quàm turpe, quàm probrosum nobis est, illū militix nexibus impliciti, illū adhuc baptismi expertem, illum adhuc puerū tantis falsis virtutibus, cum nos nati & educati in Ecclesia, & plerique etiam matura ætate, nō solum virtutibus vacui, sed omni etiā vitiorū spurcitia sæpè obruti simus. Nō iam necesse erit, vt in iudicio pferat aduersum nos Dñs Apostolos, martyres, aliosque excellentis gratiæ sanctos: tantum hunc S. Martinū adhuc militem & catechumenum nobis opponat, & illius vnus comparatione iustissimè & grauissimè cōdemnabimur. Veruntamen dilectissimi vt nobis profint exempla sanctorum, debemus ea imitanda pro viribus suscipere. Hoc ipsum quod nouimus D. Martinū adhuc puerū, adhuc à baptismi gratia alienum, & in armis versantem tantū præstare potuisse, nobis animum debet addere, vt confidamus nos quoque idem posse, & Dei gratiam nobis etiam magis affuturam, vt pote iam Christianis. Agendum charissimi non nos pigeat sancti Martini quamuis necdum salutaribus vñdis expiati facta imitari, quia perfectæ virtutis specimen de se præbent. Idcirco hodie solennem illius memoriam agimus, vt dum præclara illius gesta agnoscimus, cupiamus illius effici vt cunque similes, & in oltis vitijs nostris quoddam indicamus bellū, atq; in nos ipsos sancto quodam odio insurgamus, nitamur nos ipsos vincere & ad eam tum interiorem, tum exteriorē hominem nostrum reformare puritatem, in qua conditi sumus à Deo, sed à qua peccando longe prolapsi sumus. Et quia fragiles sumus, & parum ex nobis ipsis possumus, idcirco etiam ea de causa tam insignis Pontificis festum nunc colimus, vt eum nobis apud Deum intercessorē obtrineamus, & qui proprijs iniquitatibus repelli potius meremur, quàm quicquā impetrare à Deo, per illū aliquē gratiæ locum apud Deum consequamur. Sed fortasse libet adhuc plura nosse

Vita S. Martini fore cuius exemplar vitæ correctionis.

Sanctos pro viuis apud Deum intercedere.



T. VI  
22

S. Martinus factus Episcopus quid egerit.

Securus.

Monachoru sancti Martini perfectio quia fuerit.

Acto. 4.

Securitas & felicitas S. Martini morientis quant.

de vita illius? Dicam ergo adhuc pauca, quia omnibus enarrandis nec totus dies sufficeret. Omnis autem, quæ ante susceptum Turonensium Episcopatum egerit, quædam ex illis quæ in Episcopatu gessit commemorabo. Itaque, ut ait iam dictus Seuerus Sulpitius, post Pontificatus susceptos honores, idem constantissimè perseuerabat, qui prius. En animum mundana omnia contemnentem, & in solo Deo immobiliter defixum. Eadem in corde eius perseuerabat humilitas, atque ita plenus autoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemq; desereret. Nos contra ad omnes mundi prosperos successus, ad omnem fortunæ blandientis auram insolescimus, & efferimur animis, nec vlla in nobis constantia est, nulla grauitas, nulla timoris Dei perseuerantia. S. Martinum Episcopatus dignitas nihil penitus à priori vitæ statu dimouit: nos verò verbulum vnum vel asperius, vel blandius prolatum aut exulcerat nimium, aut plus æquo emollit & dissoluit. Deinde cum frequentes nimium ad D. Martinum visitandū confluere, construxit coenobium extra ciuitatem in loco admodum solitario & aditu angusto: vbi discipulos habuit octoginta, ex quibus multi erant nobiles qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Ex his planè animaduertimus, quantus in sancto viro fuerit quietis, silentij & solitudinis amor: quantus horror mundani strepitus, quantus vitæ rigor, quanta sobrietas, quanta abstinentia, quanta vilitas & asperitas omnium ad vitæ vsum pertinentium. His nimirum confunditur vanitas, garrulitas, mollities, intemperantia, luxus, superbia, fastus & petulantia nostra. Quid hic commemorem illius plusquam stupendam patientiam, incredibile orandi assiduitatem, iustitiæ tenacitatem, & cæteras virtutes perfectissimè in eo relucentes? Omnia illius exempla nos accusant, nos reos faciunt, nos condemnant. Denique, cum moriendum esset, tanta mentis securitate migravit ad Dominum, ut futuræ gloriæ etiam in corpore eius signa manifesta apparerent. Nam facies eius ut sol respendit. Multa & magna transiui studio breuitatis, quæ vos aliunde potestis haud pœnitendo fructu discere. His paucis quæso charissimi prouocemur ad virtutis studium, ad amorem Dei, ad omnia illa, quæ nos Deo gratos efficiant. Credite mihi, si in extirpandis vitijs colendisq; virtutibus operam studiumq; ponere conati erimus, & hic iucundam & tranquillam ducemus vitam, & post cum D. Martino & sanctis omnibus cælestia consequemur bona, quæ nobis promissi: Deus se timentibus & diligentibus, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

IN SOLENNITATE PRAESENTATIONIS  
gloriosissimæ semperq; virginis Mariæ. Epi-  
stolam cum sua Paraphrasi, itemq; Euan-  
gelij Exegetin quare in Festo concepti-  
onis eiusdem B. Virginis.

SERMO